

SSmo. Sacramento in omnibus Ecclesiis, quoties in illis Missae celebrantur, et nondum SSmum. Sacramentum, quod aliquibus horis in Tabernaculo inclusum fuit, iterum fuerit publice expositum, quemadmodum S. C. ad propositum dubium respondit.

b) In Oratione 40 hh.

Vd.: *Expos. SSmi. occasione 40 hh.*

*Ad dubium:* an in missa privata de Sancto dupl. vel semid., de quo tali die fit Officium, facienda sit com. de SSmo. exposito occasione 40 hh.? S. C. resp.: Posse, sed omittendum in festis I. et II. cl. n. 3073 ad 4 die 2. Decb. 1654.

Vd.: *Instructio Clem. §. XII. n. 9, 12. et 25. §. XIII. n. 4; §. XVII. n. 20—34. (In num. 25.; Ordo.)*

*Ad dubium:* An Collecta SSmi. Sacramenti in expositione 40 horarum, vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis, vel ultimo loco post alias Orationes?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

Servandum esse quod praescribitur in novissimo folio Instructionis pro publica Oratione 40 horarum, de mandato SSmi. Domini Nostri anno 1705. edito num. 10. §. Nell' Altare, si agitur de Missa solemnibus; si autem agitur de privata, habetur pariter in eisdem folio, et numero §. Non si celebrino, et quomodo regulari debeat Collecta de qua agitur juxta praescriptum Rubricae, quae est octava in ordine tit. de Commemorationibus.

Et ita decrevit, ac servari mandavit. N. 3800 ad 2. Die 23. Martii 1709.

c) In tabernaculo inclusi.

Vd.: *Commem. SSmi. in miss. et festis. (Quando; decr. n. 4782 nota ad finem.)*

d) In Vesperis.

In istis vesperis, ubi SSmum. expositum est, commemoratio SSmi. fieri non debet. S. R. C. die 25. Septbr. 1852.

24) In vesperis (Ordo).

Cf. *SS. Trinit. (vesp.)*

Concurrente Dominica II. Adv. cum festo Conceptionis B. V. M. et die octava Sancti proprii fieri debet in vesp. prius commem. Sancti proprii, deinde de dominica. n. 3301 ad 7 die 10. Jan. 1693.

*Ad dubium:* An in primis et secundis Vesp. de Octava Dedicationis Basilicae, servandus adhuc sit immemorabilis usus addendi tantum commemorationem Sancti ritus dupl. vel praecedentis, vel subsequentis?

S. ead C. rescribendum censuerit... „Negative, et servendur Rubricae.“ Atque ita S. C. rescribendum, et declarandum censuit. N. 5176. Die 25. Sept. 1852 ad 2.

COMMENDATIO ANIMAE.

Vd.: *Lytan. Sanctor. Omn. (add. licita).*

COMMUNE C. NON P.

Vd.: *Capitulum de comm. C. non P.*

COMMUNE VV.

(Ant. 3. in 1. n. Vd.: *Ant. 3. in 1. n.*)

COMMUNICANTES.

a) In Missa.

Cf. *Praefatio.*

Occurrente festo ss. Philippi et Jacobi seu inventionis S. Crucis infra octavam Ascensionis D. dicitur Praefatio de die festo propria, *Communicantes vero de Ascensione*, quamquam dicta festa non admittunt commemorationem octavae n. 707 ad 2 die 7. Aug. 1627. Communicantes de As-

censione non omittitur in festis 2. cl., quae occurrunt infra octavam Ascensionis, licet de ea non fiat commemoratio. n. 2362 ad 10 die 13. Febr. 1666.

Infra octavam Ascensionis in Missis defunctor. dici debet Communicantes commune. n. 1509. die 4. Junii 1644.

Si celebratur missa votiva infra octavam, *Praefatio* de missa votiva cantanda est, dum propriam habet; *Communicantes* vero de Octava, quia est proprium de illo tempore infra octavam. n. 2223 ad 3 die 16. Junii 1663.

b) In festo Pentecostes.

Circa *Communicantes* proprium dicens in festo Pentecostes in quibusdam missalibus legitur: *Igneis linguis*, in aliis quampluribus legitur: *Innumeris linguis*; quatenam ex duobus lectionibus amplecti debeat? S. C. resp.: Lectionem: *Innumeris* etc. esse conformem missali ab Urbano VIII. recognito. n. 4491 ad 11 die 12. Mart. 1804.

Vd.: *Exaltatio crucis*, — conclusio etc. — decr. n. 4566.

COMMUNICATIO PRIVILEGIATA IN OFFICIIS RECITAND.

Vd.: *Officium particul.; Dies fixus* (decr. sub. die 28. Aug. 1706.

COMMUNIO.

1) In Coena Domini.

Vd.: *Coena Domini.*

2) Diaconi et Subdiaconi.

Vd.: *Missa. (interrupta per mort. Sacerdotis; nota ad finem.)*

3) Distribuens (Habitus).

Vd.: *Stola in distrib. communionis.*

*Ad dubium:* An toleranda sit, vel

eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic S. Vestibus Sacrificii indutum, et prae manibus Calicem tenentem, ascendere in transitu ad Altare, in qua adest SSma. Eucharistia, ut ibi S. Communionem Fidelibus distribuatur? Et quatenus non sit toleranda utrum depositis Planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba et Stola? Emmi itaque ac Rmi. P. . . rescribendum censuerunt: „Si adsit necessitas, posse tolerari.“ Atque ita rescripserunt, ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 12. Die 12. Martii 1836.

4) Distributio.

a) Infra Missam.

Vd.: *Communio in Sabb. s. (decr. n. 4815); Communio (ordo accip., decr. n. 1907); Patena (in comun.)*

Quando in missa sol. ministratur s. Eucharistia Clericis vel Laicis, reliqui de Clero in choro debent stare. S. R. C. 9. Maii 1711.

*In Catanien.*

JANUEN.

Emme., et Rmme., D. Observandissime. Quomodo nomine Sacerdotum istius Januen. Civitatis, qui Sacrum peragunt in Eccl. S. Octaviani S. huic R. C. humillimae datae sint preces, quibus exponitur a memoratae Eccl. Parocho contra invectam ubique locorum consuetudinem prohiberi S. Communionis expleto Sacrosancto Missae Sacrificio Fidelibus distributionem, ob irreverentiam, quae, ut asserit, SSmo. Sacramento irrogatur a ceteris Fidelibus Missa peracta exeuntibus; dum ob hanc novitatem Presbyteri clamant, ei ob incommodum Populus obloquitur. Quae singula sedulo perpendentes Emmi. et Rmme. D. Card. S. tuendis Ritibus praepositi, quin aliquid directe supplicii Libello responderent in Ordinariis

Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis satius sumpsere consilium de expositis Eminentiam V. certiores reddere, ut veris existentibus narratis dignetur providere, ac singula componere juxta communem et universalem praxim, ne dissensiones ulterius progrediantur. Hanc S. C. mentem dum Eminentia V. communico, manus humillime deosculor.

Romae 7. Dec. 1844. n. 4984. Emmo, et Rmmo., Domino Card. Archiep. Januensi.

#### b) Locus.

Vd.: *Tabernaculum* (locus et situs, decr. n. 5028).

#### c) Coram SSmo. exposito.

Vd.: *Missa convent. cor. SSmo. expos.* (decr. n. 4677).

#### d) Distribui non debet hostia magna post depositionem Sanctissimi.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXXI. n. 24.*

#### 5) Duae (communiones).

Vd.: *Missa* (interrupta per mort. Sacerdot.; votum P. Aloy. Janni); *Parasceve* (missa).

#### 6) Ecclesia.

Cf. *Osculum manus Communio pasch.* (Ecclesia); *SS. Viaticum* (Quibus port).

Fideles in die Paschalis recipientes ss. Sacramentum Eucharistiae in Ecclesia *matrice*, satisfaciunt obligationi de rec piendo Communione in parochiali n. 1047 ad 9 die 6. Sept. 1636.

Christifideles sumentes SSmm. in *Cathedrali* adimpleri praeceptum paschale, n. 2165 die 1. Apr. 1652.

*Ad dubium*: an in Oratorio Confraternitatis S. Rosarii Burgi possit ministrari SS. Sacramentum tam Confrat-

tribus quam non Confratribus et quibus diebus? S. C. resp.: Affirmative. n. 3910 ad 4 die 9. Juli 1718.

*Ad dubium*: an Parocho s. Pauli civilitatis Vallettae sit prohibendum administrare Sacramenta et praecipue occasione praecepti paschalis Clericis saecularibus habitantibus intra limites parochiae portus Salvi, etiamsi adscripti non sit servitio parochiae s. Pauli, ita ut teneantur accedere in adimplementum dicti praecepti ad eandem parochiam Portus Salvi? S. C. resp.: Omnes teneri satisfacere praecepto paschali in propria parochia praeter addictos et insimul inservientes Ecclesiae s. Pauli. n. 3957 ad 13 die 27. Febr. 1723.

*Ad dubium*: an Ecclesiae, ubi Functiones maj. hebdom. fieri nequeunt, sint Regularium, id liceat, ut Superior communicare valeat suos Alumnos pro adimplemento paschalis praecepti? S. C. resp.: Superior celebret in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communione et si desit Oratorium fiat in Ecclesia clausis januis n. 4870 ad 2 die 31. Aug. 1839.

#### 7) Episcopi consecrati.

*Ad dubium*: Quibus verbis in Episcoporum consecratione uti debeat Consecrator, dum communicat consecratum de Corpore et Sanguine Domini?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Servandum esse Pontificale.“ Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5100 ad 6.

Die 25. Sept. 1852.

#### 8) Episcopus distribuens.

*Ad dubium*: Utrum formula illa, quae in Pontificali Rom. adhibenda edicitur, dum Ordinatis SSmm. Eucharistiam administrat Episcopus Ordinans, adhiberi possit ab Episcopo quotiescumque SSmm. Eucharistiam administrat,

seu an extra Communione Ordinatorum adhibere debeat communem formulam, prout jacet in Rituali Rom.?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Formulam in Pontificali praescriptam dum ad S. Synaxim Episcopus Ordinatos admittit extra casum illum non esse adhibendam: seu quoad primam Negative, quoad Secundam Affirmative.

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit. n. 5186 ad 3 die 7 Maji 1853.

#### 9) Frequens.

*Decretum S. C. C. approb. ab Innocentio XI.*

Cum ad aures SS. Domini N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Dioecibus vigere usum quotid. Communione etiam in fer. VI. Parasc., et simul affirmari eandem quot. communionem praescriptam esse a jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse videlicet, quod aliqui non in ecclesia, sed in *privatis Oratoriis* et domi, immo cubantes in lecto et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant ss. Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena aut secreto illis deferunt Sacerdotes saeculares aut reg. aliique in communione accipiunt plures formas ac particulas vel grandiores solito, ac tandem, quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem haec consideranda SS. commiserit S. C. Card. Concilii Trid. interpretum, Eadem S. C. praevia natura discussione super praedictis unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens quotidianusve SS. Eucharistiae usus a SS. PP. fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certis singulis mensibus aut

hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tritendinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secus reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem SS. Synodus ut singulis missis fideles astantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent*; idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae econtra gratiae et Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis essu potest constitui.

Et propterea quod *Negotiatores* attingit, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum Secreta Cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu Laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

In *Conjugatis* autem hoc amplius animadvertant, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob SS. Eucharistiae reverentiam continentiae vocandum puriorique mente ad caelestium epularum communionem esse conveniendum.

In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana s. communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituentur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut parochos, seu confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut Nemo a s. Convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, re-

pellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet.

Itidem *Moniales* quotidie S. Communionem petentes admonendae sunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitulis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant et fervore Spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis superioribus permittatur.

Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam, opera quoque *Concionatorum* uti et cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiore aut quotidianam salutiferi cibi sumpcionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini iudicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri et si quando se minus paratos senserint, *ab ea abstinere* seque ad majorem praeparationem accingere.

Episcopi autem, in quorum Dioecibus viget huiusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illo gratias Deo agant eamque ipsi adhibito prudentiae et iudicii temperamento alere debent; et ab eorum Officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque et dona in summentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina praestante gratia, tenen-

tur, seque SS. Pane frequentius recipi cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et se pretium in morte tradidit atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur S. Congregatio, ut suam opem ad dignam praeparationem et sumpcionem largiatur.

Porro Episcopi et Parochi seu confessarii *redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de jure divino*; doceant in Ecclesiis seu Oratoriis priv. ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam ss. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto, praeter quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant et ad hos, si ab *Ecclesia* deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis rom., si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

Curent etiam ut circa Communionem in fer. VI. Parasc. missalis rubricae et Ecclesiae rom. usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradant plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores sed consuetas; non permittant, ut venialium Confessio fiat *simplici Sacerdoti non approbato* ab Episcopo aut Ordinario. Si Parochi et confessarii etiam Regulares aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in Contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis et Ordinariis per hoc decretum per Sedem ap. specialiter attributa. Et facta de praemissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione SS. approbavit ac praesens

decretum typis mandari ac publicari voluit.

Datum Romae 12. Febr. 1679.

F. Cord. Columna Praef.

S. Archiep. Brancaccius

Ep. Viterb. Secret.

#### 10) Genufflexio.

Sacerdos missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, quousque terminetur communio. n. 3477 ad 19 die 5. Julii 1698.

#### 11) Hostiae dividendae.

VERONEN.

*Ad dubium*: Utrum tuto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiae dividi in plures Particulas, quae singulis distribuuntur: Et quatenus non sit sequenda, utrum quibusdam saltem in circumstantiis temporis, locorum, et personae sequi possit? S. C. resp.:

„Servetur consuetudo dividendi consecratas Particulas, si adsit necessitas.“ n. 4707 ad 1 die 16. Mart. 1833.

Vd.: *Hostia*.

#### 12) Pro Indulgent. lucrandis.

Vd.: *Confessio* (pro indulg. lucrandis.)

Ut Christi fideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis insentiarum varietate super intelligentia verborum: *Qui vere poenitentes, confessi ac s. communionem refecti Ecclesiam visitaverint*, S. C. fuit in voto, confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere, etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, nec

non praefatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad Ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse sive ante sive post aliorum piorum operum implementum.

S. C. J. die 19. Maji 1759.

Attenta praedicta declaratione S. C. J. de die 19. Maji 1759 quamplures supplices libelli tum regularium Communitatum et praesertim Monialium, tum etiam parochorum et nonnullorum Episcoporum porrecti sunt, quibus exponebatur difficultas, quae persaepe incidit, pro sacramentali confessione sive in festo vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem enixis precibus supplicabant Sanctitati Suae ut opportuno aliquo remedio providere dignaretur. Ideo S. C. J. propositum est dubium: An et quomodo sit consulendum SSmo. super praefati decreti executione vel declaratione?

Resp. fuit: Consulendum SSm. D. N., ut concedere dignetur Indultum omnibus Christifidelibus, in frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediatur, consueverunt et nullius lethalis culpa a se post peractam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascunque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quae caeteroquin juxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilaei tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei concessas, pro quibus assequendis sicut et alia opera injuncta et sacramentalis confessio, tempore in eorum concessione praescripto peragantur. Et SSmus. annuit et praefatum Indultum expediri et publicari mandavit. S. C. J. 9. Decb. 1763.

## URBIS ET ORBIS.

Cum non pauci ad S. C. J. supplices libelli porrecti fuerint, ob confessariorum inopiam pro oblinenda facultate sacramentalem confessionem peragendi per plures dies ante eucharisticam communionem ad indulgentias acquirendas praescriptam; nec non ut explicetur, an ad eas lucrandas liceat s. Synaxi refici in pervigilio dieifesti, pro quo declarantur concessae, eadem S. C. censuit licere ad praefatum effectum Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis, quo vero ad petitam explicationem respond. censuit:

Firmo remanente decreto 9. Decbr. 1763 pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem semel in hebdomada accedunt; pro caeteris autem fidelibus in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari; postulantis communicetur dictum decretum et facto verbo cum SSmo. extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles; unde confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus inunctis et dummodo nullius lethalis culpa post peractam confessionem commissae conscii sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilaei concessas ut in Decreto de 9. Decbr. 1763.

Et Sanctitas Sua votum S. C. benigne approbavit ac publicari mandavit. Die 12. Junii 1822.

*Ad dubium:* Utrum fidelis aut sacerdos per unicum s. communionem possit lucrari plures indulgentias plenarias vel sibi vel defunctis applicabiles, si ad has lucrandas praescribatur s. communio? S. C. J. resp.: Affirmative ut in diebus 29. Maii et 15. Decbr. 1841. Die 30. Aug. 1847.

(Vd.: *Indulg.* — pro fidelibus singulis etc. —)

*Ad dubium:* An Christifideles secundum Canonem: *Omnis utriusque sexus etc.* SS. Eucharistiam suscipientes *tempori paschali* possint per hanc s. Communionem lucrari *Indulg. plenariam*, ad quam lucrandam inter caetera praescribitur s. Communio. Ea praesertim de causa de hoc re dubitat Orator, quod a s. m. Bened. XIV. in litteris encyclicis: *Inter praeteritos etc.* et in constitutionibus eccles. Inst. 53 n. 7 videtur definitum, unam Communionem pro *Indulg.* in forma Jubilaei concessa et pro paschali etiam praeepto sufficere non posse?

S. C. J. resp.: Affirmative, dummodo *Indulgentia* lucrificanda non sit in forma Jubilaei, pro qua tantum requiritur *pecul. Confessio et Communio*; satis enim declaratum est a SS. D. N. Gregorio PP. XVI. per decr. s. hujus Congr. sub die 19. Mart. 1841. Romae 1. Maii 1844.

Per confessionem et communionem *die paschalis* resurrectionis peractam et *Indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam* lucrari et satis praeepto paschali fieri. J. C. J. 19. Mart. 1841.

## 13) Infirmorum.

Vd. *Administratio Sacrament.*; *Stola* (Administ. Sacram. decr. n. 4622); *Canonici* (Administ. Sacrament.); *Professio fidei*; *Viaticum*; *Benedictio SS. Sacramenti in commun. Infirmorum*; *Communio* (frequens).

In parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque SS. Sacram. ad aegrotos defertur eisque administratur cum stola super vestem communem absque cotta sine superpelliceo; quaeritur: an praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit? S. C. resp.: Negat. et eliminata consuetudine ser-

vetur rit. rom. praescriptum. Die 16. Decbr. 1826.

## 14) Pro Jubilaeo lucrando.

Communio pasch. ad lucrandum Jubilaeum absque speciali *Indulto* non sufficit. S. C. J. 6. Mart. 1847.

*Quid pro ea supponatur in pueris, qui s. commun. non sunt capaces?* Vd.: *Bened. cum Indulg. plen. pro Moribundis* (nota ad finem.)

Vd.: *Communio* pro Ind. lucrandis, decr. de die 9. Decbr. 1763; de die 1. Maii 1844.

## 15) Laicorum in Coena Dom.

(Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Oblig. Laicor. etc.); *Ordo accipiendi etc.*) *Coena Dom.* (Communio Laicorum).

*Ad dubium:* An FERIA V. in Coena Domini ad accipiendam S. Synaxim Gubernator et Magistratus accedere possint ad gradus Altaris? Et in casu negativo, an saltem ipsis dispensari debeat SSmum. Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato?

S. C. respondendum esse censuit:

„Affirmative ad primam partem“. Atque ita rescripsit, ac in omnibus servari mandavit, die 27. Aug. 1836. N. 4794 ad 6.

## 16) Qua lingua distribuenda?

*Ad dubium:* An consuetudo dicendi in Communione Fidelium: *Ecce Agnus Dei, et Domine non sum dignus* idiomate vulgari, sit sustinenda, vel potius eliminanda utpote contraria Rituali et Missali Romano? S. C. resp.: „Consuetudinem esse eliminandam“. Die 23. Maji 1835. n. 4748 ad 5.

## 17) Lumina.

Vd. *Expositio SS. Sacramenti*; *Coena Dom.*; *SS. Sacramentum* (asservatio). *Azymus*.

## 18) Materia et renovatio hostiae.

Vd.: *SS. Sacramentum* (renovatio, decr. n. 4623 nota); *Communio* (frequens).

## 19) In Missa de Requiem.

Cf. *Altare privil.* (decr. n. 4348).

*Ad dubium:* utrum in missa de Req. conveniat communionem fidelibus ministrare vel post illam et in casu convenientis administrationis post missam cum paramentis nigris et conveniat dari benedictionem; an vero benedictio omittenda? S. C. resp.: Non esse contra ritum. Si tamen administratur communio post missam, omittendam esse benedictionem. n. 3025 ad 2 die 24. Julii 1683.

*Ad dubium:* an in missa de requiem s. liceat distribuere Eucharistiam? S. C. resp.: *Omnino negative*. n. 3575 ad 11 die 22. Jan. 1701.

Vd. infra decr. n. 4753.

*Ad dubium:* an decretum quo prohibetur dare Communionem in missis pro def. debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans tales missas in quacunque occasione nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore celebrationis ante, post Communionem, nec post celebrationem, finito Evang. s. Joannis? S. C. resp.: *negative* in Omnibus. n. 3833 ad 4 die 21. Mart. 1711. Verum sub die 21. Mart. 1711 repositio eodem dubio S. C. resp.: Dilata et ad mentem et mens fuit ut resolutio ad quartum edita 21. Julii 1710 non extra detur.

In missis def. in paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo pyxidem a custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eandem missam consecratis. n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741. (Vd. infra decr. n. 4753.)